

HISTORIA APOLLONII REGIS TYRI

épisode 9 • APOLLONIUS DESESPERE

Où le héros perd la raison et s'enferme dans son terrible chagrin...

Revenu d'Egypte, Apollonius apprend une désespérante nouvelle...

Chapitre 37

Et cum haec Mutilena aguntur, venit Apollonius post quattuordecim annos ad civitatem Tharsiam ad domum Stranguillionis et Dionysiadis. Quem videns Stranguillio de longe perrexit cursu rapidissimo ad uxorem suam dicens ei: "Certe dixeras Apollonium perisse naufragio; et ecce venit ad repetendam filiam suam. Quid dicturi sumus patri de filia, cuius nos fuimus parentes?" Scelerata mulier hoc audito toto corpore contremuit et ait: "Miserere, ut dixi, coniunx, tibi confiteor: dum nostram diligo, alienam perdidi filiam. Nunc ergo ad praesens indue vestes lugubres, et fictas fundamus lacrimas et dicamus eam subito dolore stomachi interisse. Qui cum nos tali habitu viderit, credet."

Et dum haec aguntur, intrat Apollonius domum Stranguillionis, a fronte comam aperit, hispidam ab ore removit barbam. Ut vidit eos lugubri veste ait: "Hospites fidelissimi, si tamen in vobis hoc nomen permanet, ut quid in adventu meo largas effunditis lacrimas? Ne forte istae lacrimae non sint vestrae, sed meae propriae?" Scelerata mulier ait cum lacrimis: "Utinam quidem istum nuntium alias ad aures vestras referret, et non ego aut coniunx meus! Nam scito Tharsiam filiam tuam a nobis subitaneo dolore stomachi fuisse defunctam." Apollonius ut audivit, tremebundus toto corpore expalluit diuque maestus constitit. Sed postquam recepit spiritum, intuens mulierem sic ait: "Tharsia filia mea ante paucos dies decessit: numquid pecunia aut ornamenta aut vestes perierunt?"

Chapitre 38

C'est alors que Dionysias montre le cénotaphe de Tharsia...

[...]Apollonius vero credens eam vere esse defunctam ait ad famulos suos "Tollite haec omnia et ferte ad navem, ego enim vado ad filiae meae monumentum." At ubi pervenit, titulum legit: D. M. CIVES THARSI THARSIAE VIRGINI APOLLONII REGIS FILIAE OB BENEFICIVM EIVS PIETATIS CAVSA EX AERE CONLATO FECERVNT.

Perlecto titulo stupenti mente constituit. Et dum miratur se lacrimas non posse fundere, maledixit oculos suos dicens: "O crudeles oculi, titulum natae meae cernitis et lacrimas fundere non potestis! O me miserum! Puto, filia mea vivit." Et haec dicens rediit ad navem atque ita suos allocutus est dicens: "Proicite me in subsannio navis; cupio enim in undis efflare spiritum, quem in terris non licuit lumen videre."

Que va faire désormais Apollonius esseulé ?